

6#48196





C  
BX1757  
P6  
1784  
v.2  
c.1



1080045769

DICTIONNAIRE

DICTIONARIUM  
C A S U M  
CONSCIENTIÆ,

Quos secundum Moralis principia , Ecclesiasticæ  
Disciplinæ Consuetudines,

CONCILIORUM, ET CANONISTARUM  
AUCTORITATEM,  
ET REGNI JURISPRUDENTIAM.

46582

*Domini Quondam*

DE LAMET ET FROMAGEAU

Sorbonicæ Familiæ & Societatis Doctores deciderunt,

E GALLICO IDIOMATE , QUO PARISIIS PRODIIT

LATINE REDDITUM,

In supplementum Dictionarii Viri Clarissimi  
Domini JO: PONTAS,

TOMUS SECUNDUS.

L-V



2004  
VENETIIS,  
EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.  
MDCCLXXIV.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

C  
BX 1757  
PZ  
1778  
V. 2

D I C T I O N A R I U M  
C A S U U M  
C O N S C I E N T I A E  
Quos secundum Morale principia, Ecclesiasticas  
Discipline Constituit.  
CONCILIORUM. ET CANONICARUM  
A U C T O R I T A T E M  
E T R E G N I A U T H O R I T A T E M

Domini Quondam  
DE LAMET ET FROMAGEAU  
Societate Familie & Societate Doctoris decessit.  
B GALLICO IDIOMATE, QUO PARISIIS PRODIGIT  
LATINE REDDITUM  
In supplementum Dictionarii Viri Clarissimi  
Domini JO. PONTAS,  
TOMUS SECUNDUS.



V E N E R A B I L I S  
EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA  
M D C C L X X I V .  
SUPERIORI PERMISSU. DE TYPIS



L O C A T I O  
P E C O R U M .

**Q**uod Locatio Pecorum dicitur, est contractus, quo certus pecorum numerus Villico cum dimidia lucri parte tribuitur; appellatur etiam Pecorum redditio, quia rusticus, qui a cive gregem accipit, ea conditione accipit, ut ad contractus terminum ei reddat eundem pecudum numerum, tantique pretii, quanti sunt aestimata, cum eas accipit, aut pretium, quo ipsa habitae sunt. Si locator periculum, quod Villicus in se recipit, ut nempe locatione absoluta tantumdem Pecorum reddat, aut eorum pretium: putant aliqui, cum periculum sibi a Villico impositum sit pretio aestimabile, a locatore nullam ei injuriam inferri, si ipse compensationis loco majorem, quam deberet, gregis fructum acciperet. Est tamen indubitatum, eum qui gregem tribuit, non posse pacisci turam suam forem fore, quamvis minus gregis lucrum percipiat, quia pactum hoc efficit, ut societatis contractus induat naturam mutui, cujus gratia nihil percipi potest, quin usura perpetretur, quoniam tunc translatum dominium est, & qui gregem accipit, tenetur ejusdem valoris gregem restituere, quae sunt conditiones ad contractum mutui necessariae, quaeque societatis contractum de medio tollunt.

Ita ergo hi contractus iniuri debent, ut liciti sint: potest tribui grex ad sex annos, plus, minusve; fructus inde provenientes interea dividi; confectoque termino, quantus est, dividi grex pro conventionis ratione. Potest etiam quisque conferre dimidium gregis, atque impensarum, tum quae nutritionem spectant, tum quae custodiam, & aequalem deinde omnium divisionem statuere; aut etiam potest unus alimoniam suppeditare, alter vero custodiendi & ducendi gregis impensas facere.

Est & alia ratio contractus pecudum ad dimidium lucri partem ineundi. Gregem certo pretio jam aestimatum Petrus Joanni tradit, ea lege, ut Joannes ei pabulum, stabulumque suppeditet, custodiam, curetque suis sumptibus, omnino ut erga suum proprium facit, ac facere teneretur. Si grex moritur, perditur, aut deperit accipientis culpa, damnum in eundem cadit; si minus id ejus culpa sit, damno ipse non subest donec aestimationis sortem solverit; sed in locatorem universa jactura recidit. Cum autem sortem solverit, jactura erit utriusque communis. Societatis contractus hic permissus est pluribus consuetudinibus Tractus Nivernensis, Ducatus Bituricensis, & Provinciae Borbonensis; confirmaturque ex eo, quod nihil iniusti, nihilque illiciti continet; at difficultate tamen non caret, ut ex sequenti casu compertum fiet.

C A S U S .

Regulae servandae in Pecorum Locationis contractibus.

1. Cogi non debet locati gregis acceptor, in locationis sine eum profusus integram restituere, nisi cum domino fructus provenientes dimiserit, aut ob nutritionem, custodiam & labores, quos subit, indemnus servetur.
2. Non debet acceptor sortis jacturam aut diminutionem pati, cum non consigit ejus culpa; ei perire debet res, ad quem perierit.
3. Si locatio absoluta, sortis imminuta esse comperitur, nec fructibus exsequatur, acceptor eam compensare non tenetur.
4. Id vero minus tenetur facere, cum gregis pars contragione aliqua perit; locator jacturam hanc pati debet, ut acceptor nutritionis, & suorum laborum jacturam patitur.
5. Locator impedire non potest, quominus acceptor venatur animalibus ad vaccinationem curandam locationi necessarius.

Q U E S I T U M .

**P**etro est praedium instructum agris, pratis, pecoribus &c. Pecora sunt pretio 1500. librarum; Joannes suam curam exhibet ad praedii bonum.

Acceptat Petrus, I. ea conditione, ut Joannes ejus fundos recte curet & colat eorumque proventum, perinde ac pecorum fructum aequaliter cum Petro dividat.

II. Ea conditione, ut Joannes locatum gregem talem restituat, qualem accipit, quamvis restitutionis tempore minoris vendantur pecora, quam tempore traditionis.

III. Si quae pecudes Joannis culpa perierint, tenetur locatum gregem integrum facere.

IV. Si grex locatus non est integer tempore restitutionis, Lamet. Tom. II.

cum Joannes emolumentum perciperit, ambo aequae conferunt, ut gregem locatum compleant; si hoc emolumentum non sufficit, Joannes, quod deest, addere debet.

V. Hinc sequitur, ut, si nihil extiterit emolumenti, atque imminuta locatio sit, Joannes eam redintegrare teneatur.

VI. Joannes praeterea obligatur a Petro, ut in ejus commodum onerariis vehiculis utatur, & in sui ipsius commodum uti prohibetur.

VII. Denique Petrus etiam quandoque Joannem cogit gregem integrum reddere, licet pecora interierint aut morbis, quae saepe greges invadunt, aut casu sortuito, absque ulla Joannis culpa.

Quaeritur, an tuta conscientia contractus iniuri possit, cum his omnibus clausulis, quae in Provincia consuectae sunt, ne Villicus pecora dissipet; ac si forte contractus hic sit illicitus, rogatur Conscientiae Consilium, ut indicet, quid ei detrahendum sit, ut licitus efficiatur.

Agris, pratis, domibus minime traditis, dat Paulus Jacobo pecora, quorum pretium est scutorum quinquaginta, ea conditione, ut Jacobus suis impensis ac sumptibus pecorum stabula & nutrimenta suppeditet, reditum perceptum cum Paulo locationis tempore partiturus, locatione autem completa locatum gregem redditurus eundem, iisdemque conditionibus in praediorum casu paulo ante propositis.

Quaeritur iniurine possit tuta conscientia contractus hic. Iis porro in locis consuetus est.

R E S P O N S I O .

Consilium Conscientiae subscriptum censet, statim ac Petrus in animo habet suum praedium, sua pecora Joanni tradere, ea conditione, ut ipse suos labores conferat, totisque viribus traditarum rerum bono invigilet, ut proinde inter